

est album est ens, vel hic: *Si Petrus est albus, Deus existit*; vel si cum eo: *Datur lux*, simul esset hic: *Quando datur lux, non dantur tenebræ*; aliter esset iudicandum, nam tunc necessario excitaretur vel suppleretur prædicta apprehensio evidens, nec posset cohiberi assensus circa objectum consequens (1).

Objic. 3.<sup>o</sup> Positis iisdem præmissis, sæpe contingit, ut alter statim conclusionem inferat, alter cunctetur. Atqui id non aliunde provenire videtur, quam ex iudicio de bonitate illationis, quod alter habet, alter vero non. Ergo (2).

Resp. Hoc «solum probat necessitatem apprehensionis, immo nec illam probat absolute, sed tantum quando præmissæ formam habent imperfectam, aut per accidens non bene penetrantur.» Nempè solum probat, non semper assensum præmissarum sufficere ad hoc, ut pateat identitas terminorum conclusionis; non vero probat nunquam posse patere hanc identitatem ex solo præmissarum assensu. Nam quod in aliis figuris præter primam, et generatim quoties præmissæ non necessitant ad conclusionem, requiratur apprehensio explicita, et, si velis, iudicium de illatione, sive objectiva sive formali; permitti potest, quia id erit per accidens respectu syllogismi perfecti, de quo nunc loquimur et loquuntur auctores, cum absolute disserunt de syllogismo. Non aliter ac cum disputatur absolute, quid possit natura hominis vel intellectus humanus, non est sermo de natura infirma, vel de intellectu rudi, sed de habente totam perfectionem, cuius est capax humana conditio (3).

Objic. 4.<sup>o</sup> Ut intentio finis determinet in actu secundo ad electionem, debet expresse iudicari utilitas aut necessitas medii. Ergo pariter, ut præmissæ ultimo determinant ad conclusionem, debet expresse iudicari necessaria ipsius illatio (4).

Resp. *neg.* paritat. Voluntas enim est potentia cæca, quæ proinde media nequit eligere, quin ut eligibilia vel eligenda sibi proponantur; at vero intellectus est potentia ocu-

- (1) Lossada, ib. cap. 2, n. 16.
- (2) Lossada, loc. cit. cap. 3, n. 5.
- (3) Lossada, ib. n. 7.
- (4) Apud Lossada, ib. n. 5.

lata. Cum potissimum in casu nostro præcedat iudicium æquivalens explicito circa necessitatem objectivam conclusionis, et nihil simile præcedat in casu electionis medii (1).

Objic. 5.<sup>o</sup> Voci *ergo* in conclusione positæ aliqua certe respondet cognitio. Atqui non cognitio repræsentans veritatem illatam, eam enim reliquæ voces conclusionis significant. Ergo cognitio repræsentans illationem seu consequentiam.

Resp., «voci *ergo* in conclusione positæ respondere *cognitionem illativam*, non *cognitionem de illatione* (saltem explicitam et iudicativam); *cognitionem autem illativam*, satis est, quod præcedant præmissæ» (2).

Objic. 6.<sup>o</sup> Sæpe concessis præmissis, sola negatur consequentia, non vero consequens. Sed nisi dicatur in his casibus negari iudicium de bonitate consequentiæ, nequit explicari, quid negetur. Ergo negatur huiusmodi iudicium. Atqui si hoc negatur in talibus casibus, debet adesse in aliis casibus syllogismorum recte concludentium. Ergo...

Resp. *neg.* Minor. Nam in tali casu negatur vera esse conclusio, non quod falsa sit ex defectu objecti, sed quod falsa sit ex modo tendendi, qui exprimitur per particulam *ergo*, quæ indicat hanc conclusionem ex his præmissis inferri, quod falsum est. Sicut hæc: *Alqua est frigida, quia sol ortus est*, negatur, licet constet partibus veris, ob particulam *quia* indicantem causalitatem, quæ in casu non adest (3).

Dices: Negatur quandoque consequentia ipsa objectiva, concessis præmissis. Ergo non tantum negatur conclusio ratione modi tendendi, sed negatur aliquid ex parte ipsius objecti, quod nequit explicari quid sit, nisi dicatur esse consequentia objectiva.

Resp. retorq. argum. Ergo in tali casu non negatur iudicium de bonitate consequentiæ, nam illud non se tenet ex parte objecti.

Resp. 2.<sup>o</sup> In talibus casibus saltem præcipue negatur consequentia formalis, et ideo solet argumentans petere, ut ostendatur sibi vitium syllogismi, quia si præmissæ sint veræ

- (1) Lossada, ib. n. 8.
- (2) Suarez, loc. cit., n. 75, *Ad tertium*.
- (3) Mayr, *ibid.* n. 935.

et recte dispositæ, non potest, illis concessis, negari conclusio, nisi valde imperite.

**Resp. 3.<sup>o</sup>** In tali casu negatur ex parte objecti connexio objecti conclusionis cum objecto præmissarum: quam connexionem cum significet conclusio ratione particulæ *ergo*, merito ipsa quoque negatur.

«Nec dicas, quod si negetur a respondente consequentia objectiva, debeat ea prius fuisse ab argumentante affirmata. Nam sæpe negatur, quod argumentans non formaliter, sed tantum aliquo modo æquivalenter aut virtualiter affirmavit, quod ex ejus discursu inferri potest. Potest autem ex quolibet syllogismo inferri bonitas consequentiæ objective, vel etiam judicium de ea, etsi actu non inferatur, aut affirmetur. Idem respondendum est, si objiciatur, sæpe negari consequentiam formalem» (1). Plura dabit P. Mayr.

## ARTICULUS V.

### Utrum et quomodo conclusio attingat præmissas, vel assensus præmissarum includatur in assensu conclusionis

228. Quæstio hæc ab aliis etiam sub his vocibus proponi solet: *Utrum conclusio reflectat in præmissas*. Cum enim præmissæ contineant rationem ac motivum assentiendi conclusioni, dubitatur, utrum assensus conclusionis non solum enuntiet asseratque connexionem extremorum, tamquam objectum assertum, sed præterea proponat, representetque sibi connexionem eorumdem cum medio termino, tamquam asserendi motivum. Vel aliter, «quæstio... est, an postquam intellectus habuit assensum principiorum, et accedit ad assentiendum conclusioni, sic ei assentiatur propter principia, ut assensum eorum iterum, saltem implicite, repetat; vel satis sit, ut dicatur assentiri conclusioni, propter principia, quod assensum eorum immediate ante habuerit, absque

(1) Mayr, loc. cit., n. 936.

ejus repetitione. Nam si primo modo fiat, includetur formaliter assensus principiorum in assensu conclusionis; si vero, secundo modo, non includetur formaliter, sed solum præsuppositive, quod est vere non includi, sed præsupponi» (1).

Ceterum bifariam præmissæ per assensum conclusionis intrinsece ac formaliter attingi possunt, ut *quod* et ut *quo*. Attingitur ut *quod* per aliquam enuntiationem id, cui præstatitur assensus, nempe ipsum enuntiabile, quod directe enuntiat tamquam materia judicii: attingitur vero ut *quo* id, quod se habet tamquam ratio assentiendi alicui enuntiabili, vel illud motivum, quo mens inducitur ac movetur ad aliquid enuntiandum. Sic respectu visionis, quia videtur domus v. g., domus est objectum attackum ut *quod*, illa enim est visibile, ad quod hic et nunc actus visionis terminatur, lux autem est objectum attackum ut *quo*, quia est ratio videndi domum, vel est id, quod præsupponi ex parte visibilis necesse est ad hoc, ut oculus determinari possit ad apprehendendum tale objectum. Discrimen hoc statuunt auctores inter objectum attackum ut *quod* et ut *quo* per quemvis assensum, quod objectum attackum vel inclusum ut *quod* cognoscitur et expresse affirmatur, et judicatur per illum actum; at objectum attackum ut *quo* præsupponitur quidem ut expresse cognitum et affirmatum prævio aliquo actu, non tamen iterum explicite ac formaliter exprimitur, et repetitur ab actu attingente ut *quo*; et nihilominus implicite ac virtualiter affirmatur, vel ut verum supponitur ita, ut, si quis interrogetur, quare assentiatur, illico rationem reddat explicite afferendo pro-motivo id, quod ut *quo* attingi dicitur.

In hac ergo controversia sunt duæ potissimum sententiæ: altera docet præmissas præsupponi quidem ad conclusionem, negat tamen formaliter attingi per eam, vel in eadem includi. Hanc tenent Scotistæ, Pontius (2) et Matrius (3), cum suis (4), itemque PP. Hurtadus, Compton, Alphonsus et Izquierdo (5),

(1) P. Ant. Rub., *Logic.*, in lib. 1.<sup>o</sup> *Posterior.*, cap. 1, q. 6, n. 30.  
(2) *Log.*, disp. 20, q. 1.  
(3) *Log.*, seu *Organ. Arist.*, disp. 11, q. 2.  
(4) Apud Matrium ib.  
(5) Apud Lossada, *Log.*, tract. 6, disp. 1, cap. 3, n. 10.

Bifariam  
attingi præmissæ  
possunt  
per assensum  
conclusionis:  
ut *quod*, et  
ut *quo*.

Discrimen  
utriusque modi  
attingendi.

Prima sententia:

secunda.

De Benedictis (1), Antonius Mayr (2), aliique. Altera sententia affirmat præmissas formaliter attingi per conclusionem, teneturque a S. Thoma (3), et Thomistis, Capreolo (4), Soncinate (5), Ferrariensi (6), Cajetano (7), Fonseca (8), Rubio (9), Conimbricensibus (10), Rhodes (11), Arriaga (12), Oviedo (13), Amico (14), Sylvestro Mauro (15), Lossada (16), et aliis.

229. PROPOSITIO. Præmissæ videntur attingi formaliter et intrinsece a conclusione, non quidem ut quod, sed ut quo.

Probatur  
vera sententia

Prima pars probatur 1.<sup>o</sup> ex natura cognitionis discursivæ. In hoc differt cognitio discursiva a non discursivis, ut tendat in suum objectum, non solum quatenus verum (quod commune est omni cognitioni), sed quatenus *verum propter aliud*. Atqui cognitio tendens in objectum suum propter aliud, necesse est, ut illud aliud formaliter et intrinsece attingat. Ergo conclusio, utpote cognitio discursiva, intrinsece ac formaliter attingit præmissas, propter quas objecto suo assentitur.

Major patet ex natura discursus.

Minor probatur. Nam id, quod potentiam determinat, et objective movet ad assentiendum objecto, non potest considerari ut extrinsecum quidpiam illi, sed ut forma quædam ipsi conferens, quod attingi a potentia possit. Ergo cognitio

(1) *Log.*, lib. 1, q. 1, cap. 3.

(2) *Log.*, disp. 6, q. 1, a. 2.

(3) S. Th. 1 p. q. 8, a. 3, corp. et ad 2.<sup>um</sup>; q. 12, a. 4; 2.<sup>o</sup> dist. 38, q. 1, a. 4, corp. Cfr. *de Verit.* q. 14, a. 1.

(4) In 1.<sup>o</sup> dist. 1, q. 1, in solut. ad *arg.*, cont. 4.<sup>am</sup> conclus.

(5) *Metaph.*, lib. 6, q. 10.

(6) In lib. 1.<sup>um</sup> *Cont. Gent.*, c. 57.

(7) In 1. 2, q. 8, a. 3.

(8) Fons., *Metaph.*, lib. 6, cap. 1, q. 4.

(9) *Log.*, in lib. 1. *Post.*, cap. 1, q. 6.

(10) *Log.*, in lib. 1.<sup>um</sup> *Poster.*, cap. 1, q. 4, a. 5.

(11) *Logic.*, lib. 1, disp. 4, quest. unic., sect. 4, paragr. 2.

(12) *Logic.*, disp. 15, sect. 4, n. 4.

(13) *Log.*, controv. 9, punct. 3.

(14) *Log.*, tract. 23, disp. 2, q. 5.

(15) *Questiones philos.*, tom. 1, q. 65.

(16) *De Anima*, disp. 8, cap. 4, n. 97 seqq.

tendens ad aliquid propter aliud, formaliter et intrinsece illud aliud attingat, necesse est.

Hæc ratio potest etiam sic proponi: Eodem actu fertur potentia quælibet in objectum et rationem formalem seu motivum ejus. Atqui præmissæ sunt ratio formalis et motivum conclusionis. Ergo...

Minor patet.

Major probatur. Quia ex objecto materiali et ratione formali constituitur unum objectum totale et completum attingibile a potentia per suum actum; nec objectum materiale habet attingibilitatem, nisi prout informatum a ratione formali, ac proinde si præscindatur ab ea, terminari nequit ab actu.

Et confirmatur, quia simili modo se habent præmissæ respectu conclusionis, sicut se habet lumen ad videnda objecta sensibilia; sunt namque præmissæ lumen objective illustrans ac manifestans conclusionis veritatem. Atqui lumen procul dubio attingitur formaliter, cum visu percipiuntur corpora. Ergo.

Itaque, quemadmodum tamdiu lumen adesse debet et objectum illustrare, quamdiu hoc videtur, ita etiam quamdiu durat assensus conclusionis, tamdiu coram adesse debet aliquo modo ratio formalis illius, utpote quæ necessaria est, ut menti innoscat identitas extremorum.

Prob. 2.<sup>o</sup> Ut assensus rationalis sit, necesse est, ut attingat motivum suadens assensum, vel percipiat rationem, eamque sufficientem, assentiendi. Atqui objectum conclusionis in se non habet rationem sufficientem assensus, sed illam desumit, saltem inadæquate, ex præmissis, in quibus cognoscitur identitas extremorum cum termino medio manifestans identitatem illorum inter se. Nam secus conclusio non foret propositio mediata, sed immediata. Ergo necesse est, ut assensus conclusionis percipiat aliquo saltem modo præmissas, quæ simul cum ipsa conclusionis veritate constituunt completam, adæquatam sufficientemque rationem assentiendi, ac proinde non potest non assensus ille attingere præmissas.

Prob. 3.<sup>o</sup> Propositum peregrinationem instituendi, penitentiae causa, penitentiae actus est, itemque voluntas dandi elemosynam, ut Deo placeam, vel propter voluntatem Dei,

rationem induit actus amoris divini. Ergo actus hujusmodi attingunt intrinsece ac formaliter motivum propter quod eliciendi sunt. Atqui eadem ratio est, cur conclusio attingat formaliter præmissas, tamquam motivum ac rationem formalem ejus. Ergo...

Primum conseq. probatur, quia motiva illa penitentiae ac bonitatis divinæ, dant speciem actibus, qui propter illa eliciuntur. Motivum autem specificans actum, videtur non posse non intrinsece ac formaliter attingi ab illo actu.

Denique confirmari potest hæc prima pars propositionis quodam modo ipsa experientia. Quamvis enim non experiamur, quod præmissas iterum in assensu conclusionis expresse ac formaliter repetamus, aut iterum affirmemus, experimur tamen quod conclusio habeat tendentiam præsuppositivam et allusivam ad præmissas, quam tendentiam exprimit particula *ergo*, quæ idem valet atque *hinc*, vel *idcirco*, vel *hoc cum ita sit*. Cui particulae ex parte intellectus respondet «perceptio illationis objectivæ ut fundatæ in objecto nunc præjudicato, repræsentando simul hoc objectum intuitu quodam simplici et confuso, tametsi non vago nec indefinito, sed contracto ad tale objectum ut præjudicatum hic et nunc, sicut accidit in eo intuitu, quo visus confuse percipit sub luce modica objectum præsens (1). Is vero intuitus cum sit objecti, ut nunc præjudicati, supponit ex modo tendendi formales præmissas ut præsentis, in easque proinde reflectitur... Hinc oritur, quod conclusio sit essentialiter conclusio seu judicium illatum et propositio mediata; quia nimirum essentialiter habet modum tendendi supponentem præmissas, nec movetur ex solis terminis objecti, quod affirmat, sed unice, vel simul ex motivo in præmissis asserto, et saltem ratione distincto, et sub alia ratione proposito» (2).

Unum tamen hic advertere, non esse prorsus necessarium, quod omne motivum aut determinativum actus cujusvis intrinsece ab eo attingatur, sed dari potest, «motivum pure extrinsecum seu non terminativum illius actus, ad quem

(1) Nam conclusio non attingit veritatem sui objecti, nisi prout dependentem a veritate præmissarum.

(2) Lossada, *de Anim.*, disp. 8, cap. 4, n. 99.

movet medio alio actu præcedente: id enim sæpe contingit in actibus imperatis voluntatis et in humanis actionibus extrinsecis. Hoc tamen locum habere nequit in actu, «qui nullum aliud attingat motivum seu formale objectum sibi sufficiens, præcipue vero in assensu discursivo, qui peculiari titulo debet esse rationalis intrinsece ac ratione sui. Quare præmissarum objectum respectu conclusionis et est objectum formale intrinsecum seu terminativum, et simul motivum extrinsecum (licet non pure) quatenus mediis præmissis intellectum determinat ad conclusionem eliciendam» (1).

Secunda pars propositionis constare videtur experientia, quæ testatur, quamvis possint ex imperio voluntatis iterum in assensu conclusionis repeti atque affirmari explicite præmissæ, ordinarie tamen id non fieri. Ordinarie namque soli objecto conclusionis adhibetur assensus, licet hujusmodi assensus non tendat ad suum illud objectum, nisi quatenus dependens a præmissis. Quæ causa est, cur conclusio attingat intrinsece ac formaliter præmissas ut rationem formalem sui assensus, atque adeo *ut quo*.

#### SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

230. Objic. 1.<sup>o</sup> Si vera foret nostra sententia: α) ex præmissis categoricis non inferretur conclusio categorica, sed hypothetica. Nam si conclusio reflectitur in præmissas, syllogismi hujus conclusio: *Omne animal est substantia: Sed homo est animal: Ergo homo est substantia*, reapse esset hæc: *Ergo homo est substantia, quia homo est animal, et omne animal est substantia*: β) Deinde si eadem doctrina vera esset, medius terminus ingrederetur conclusionem, contra regulas dialecticas. Patet id in allato exemplo, ubi vides terminum *animal* reperiri in conclusione tamquam partem utriusque præmissæ, contentis rationem ac motivum illius assensus.

Resp. ad α), *neg.* assertum. Necessè enim non est rationem affirmandi explicite affirmari per assensum ipsum, quem determinat, licet ab eo attingatur. Id quod patet vel in ipsis propositionibus immediatis. Sic cum asseris: *Totum est majus sua parte*, ratio assensus est convenientia vel identitas ter-

(1) Lossada, loc. cit. cap. 4, n. 102.

minorum, quam ille procul dubio intrinsece respicit, et nihilominus non affirmat explicitè, sed solum implicite vel virtualiter. Idem ergo dici potest de præmissis, quæ sunt ratio formalis conclusionis, quæ proinde non est propositio causalis vel hypothetica formaliter, licet habeat tendentiam quasi causalem, utpote quæ non assentitur objecto suo, nisi prout dependet a præmissis (1).

Ad β) similis esto responsio. Nam «Summularum regulæ satisfiit, si medium non ingrediatur conclusionem *ut quod*, id est, ut objectum affirmatum, vel ut subjectum aut prædicatum affirmationis explicitæ; nec prohibetur ingredi *ut quo*, id est, ut ratio affirmandi, qualiter per voculam *ergo* denotatur» (2).

Objic. 2.<sup>o</sup> In nostra doctrina, numquam posset verum sequi ex falso, contra ac præcipiunt leges bonæ consequentiæ. Nam in hoc syllogismo: *Omnis lapis est animal: Omnis homo est lapis; Ergo omnis homo est animal*, conclusio erit falsa, si reddat hunc sensum: *Omnis homo est animal, quia est lapis, et omnis lapis est animal* (3).

Resp. «Conclusio mentalis deducta ex præmissis falsis semper est *absolute* falsa propter falsum suppositum, seu propter implicitam et virtualem affirmationem motivi falsi; pariterque conclusio vocalis, prout continens particulam *ergo*. Utraque tamen potest explicitè affirmare objectum in se verum; atque adeo, si spectetur ut affirmans objectum materiale, præscindendo a motivo, poterit vera dici. Et in hoc sensu dicitur verum sequi ex falso, nempe quod sit verum ex alio capite, non ex vi consequentiæ vel illationis. Ideo autem consequentia non dicitur a Summulistis *vera* vel *falsa* sed *bona* vel *mala*, quia non continet explicitam affirmationem motivi» (4).

Objic. 3.<sup>o</sup> Ex nostra sententia conclusio non eget præmissis, quandoquidem ipsa sibi proponit motivum assensus; ob hanc enim causam propositio per se nota non indiget aliis

(1) Cfr. Lossada, loc. nup. cit., n. 96, 98.

(2) Lossada, ib. n. 101. Cfr. Rub. loc. cit., in *respons. ad testim. Aristot.*

(3) Apud Lossada, ib. n. 96.

(4) Lossada, ib. n. 101.

Quo sensu  
ex falso colligi  
possit verum.

Cur  
consequentia  
dicitur  
bona vel mala,  
et non vera  
vel falsa.

prioribus, per quas probetur, quia nempe habet in se rationem formalem assensus, quam sibi proponens ad assentendum determinetur. Ergo tantum abest, ut conclusio intrinseca attingat objectum præmissarum, ut e converso desinat esse conclusio, si objectum istiusmodi attingat (1).

Resp. *neg.* assertum. Conclusio enim nequit sibi repræsentare ac proponere objectum præmissarum, quin præcenserint præmissæ.

Neque vero, ut propositio dicatur immediata, satis est, quod intrinsece attingat motivum assensus, secus enim hypothetica hæc propositio: *Homo est risibilis, quia est admirativus*, foret immediata. Ut ergo propositio sit immediata aut per se nota, requiritur immediata convenientia prædicati cum subjecto, seu quod motivum ac ratio assensus non aliunde petatur, sed in ipsis rationibus terminorum reperiatur. At motivum conclusionis syllogisticæ vel est extrinsecum objecto illato, ut in hoc syllogismo: *Testimonium gravium historicorum pro vero habendum est: Atqui gravissimi historici ferunt Pompejum victum a Cesare fuisse; Ergo Pompejus victus est a Cesare*; vel saltem ita ratione distinctum, ut vocari possit *medium*; unde ipsa etiam conclusio vere est, ac dicitur propositio *mediata*, utpote utens motivo ac medio re aut saltem ratione distincto (2).

Objic. 4.<sup>o</sup> «Cum notitia præmissarum sit causa notitiæ conclusionis, si actus idem attingeret præmissas et conclusionem; idem actus esset causa suiipsius, quod fieri nequit» (3).

Resp. *neg.* sequel. Nam actus, per quos præmissis assentitur, sunt diversi ab actu conclusionis, quo assentimur objecto illato propter præmissas. Non ergo datur ullus assensus, qui sit causa suiipsius, sed dantur dumtaxat assensus, qui sunt causa alterius assensus (4).

Objic. 5.<sup>o</sup> «Ita se habent conclusiones ad principia in intelligibilibus, ut se habent media ad suos fines in agibili-

(1) Apud Lossada, loc. cit. 96.

(2) Vide Lossada, loc. cit. n. 102.

(3) Apud Fonseca, *Metaph.*, lib. 6, cap. 1, q. 4, sect. 1, arg. 1.<sup>o</sup>

(4) Cfr. Fonseca, ib. sect. 3 ad 1.<sup>am</sup>

bus, quod Aristoteles sæpe docet (1). Atqui fieri non posse videtur, ut idem actus cadat simul in medium, quod propter finem eligit, et in finem, quem intendit; tum quia electio et intentio sunt actus voluntatis specie differentes; tum etiam quia, cum sæpe propter amorem finis habeamus odio rem, quæ nobis impedimento est, ne illum assequamur, idem actus esset simul amoris et odii; tum denique quia, cum sæpe propter bonum finem eligamus mala media, ut cum quis furatur, ut honeste alat familiam, aut contra eligit bona media propter malum finem, ut qui inanis ostentationis causa diutius orat, aut sæpius jejunit, idem actus esset simul bonus et malus, quod fieri non potest» (2).

Resp. *conc.* Major. *neg.* Minor.

Ad primam probationem. *neg.* suppositum; actus enim, quo medium eligitur propter finem, non est intentio finis, sed tantum electio medii propter finem intentum. «Quod si medium, seu potius res, quæ est medium, expetatur propter se, ut ab ægroto appetitur suavis potus, qui simul est salubris, nulla habita ratione sanitatis obtinendæ, jam actus voluntatis circa illud non erit electio medii, sed intentio cujusdam medii.»

Ad secundam probationem. *concedo* sequelam, et *neg.* *consequ.* Etenim idem numero actus, qui est amor finis, potest reipsa simul esse odium ejus rei, quæ fini intento repugnat, neque enim hæc pugnant inter se; tamen amor et odium ejusdem rei, eadem ratione consideratæ, repugnent mutuo, non solum in eodem actu, sed etiam in eodem subjecto.

Ad tertiam probationem. *neg.* assertio, siquidem electio reversi medii, est simpliciter mala, quia bonum ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus, ut Dionysius docet (3); eademque ratione electio rei bonæ propter finem malum est etiam mala, non simul bona et mala (4).

Cætera quæ obijciuntur a P. De Benedictis et Mastroio, facile ex dictis resolvuntur.

(1) Vide 2.<sup>am</sup> *Physicor.*, cap. ult. text. comm. 89; 7.<sup>o</sup> *Ethicor.*, cap. 8.

(2) Apud Fonseca, loc. cit. sect. 1, arg. 3.<sup>o</sup>

(3) *De Divinis Nomin.*, cap. 4.

(4) Vide P. Fonseca, loc. cit., sect. 3, ad 3.<sup>am</sup>

## ARTICULUS VI.

## Utrum discursu ac ratiocinatione novæ veritates detegantur

231. Existimavit Plato, ut ex ipsius *Menone*, *Phædro*, libro decimo de *Republica* aliisque locis constat, «animis nostris antequam hisce corporibus unirentur, omnium scientiarum habitus fuisse concessos, neque in hac vita ullam a nobis scientiam comparari; sed cum discimus, id solum a nobis præstari, ut per phantasmata in sensibus efformata, excitetur scientia in animo insidens, quæ materiæ caligine circumfusa erat, et ita nostrum discere non esse aliud, quam eorum, quæ novimus, recordando reminisci. In eadem sententia fuit Pythagoras, ut refert D. Augustinus (1), cujus Pythagoræ est illud testimonium a Platonis eductum *quædam se meminisse, quæ nunquam fuerat expertus*» (2). Eandem doctrinam tenuere Platonici apud Conimbricenses (3) et Rhodes (4); ex quo plane sequitur nihil novi discursu et ratiocinatione colligi.

232. *Hæc autem doctrina falsa est.* Et primo quidem, prout a Platone propugnatur, supponit fundamentum præviam animarum existentiam, antequam corporibus infundantur. Atqui commentum hoc, tamquam Fidei ac rationi repugnans, alibi profligendum est, cum de anima rationali sermo erit. Ergo... Verum

*Probatur assertio ratione:* 1.<sup>o</sup> quia nisi ratiocinio novæ veritates detegerentur, cognitiones nostræ artissimis limitibus propositionum immediatarum ac per se notarum, et judiciorum singularium, quæ relationi sive sensuum, sive conscientiæ, vel etiam aliorum hominum testimonio innituntur, circumscriberentur. Hæc enim sola obtineri sine ratiocinio valent. Atqui plenæ sunt scientiæ multis aliis præterea veri-

Platonis  
commentum.

Ratiocinio  
veritates notæ  
detegantur.

(1) Lib. 12 de *Trinit.* cap. 15.

(2) Conimbric., in lib. 1.<sup>um</sup> *Posterior.*, cap. 1, q. 1, art. 1. Cfr. S. Th., lib. 1, *Posterior.*, lect. 3; 3.<sup>o</sup> dist. 23, quest. 1, art. 2, solut. vel questio. 1.<sup>a</sup>

(3) Loc. nup. cit.

(4) *Philos. peripat.* lib. 1, disp. 5, quest. unie., sect. 1, parag. 1.

tatibus et cognitionibus. Ergo necesse est dicere ope ratiocinii eas comparari.

**Prob. 2.<sup>o</sup>** experientia. Nemo enim est, quin sentiat multa se didicisse ope ratiocinii, quæ nosse aliter non potuisset.

**Dices**, his nihil probari, saltem contra Platonicos, quia ex eorum sententia responderi potest ea, quæ nos de novo addiscere putamus, revera non de novo addisci, sed olim nota et oblivioni tradita in memoriam dumtaxat, novis excitationibus ex sensuum testimonio accedentibus, revocari. Fere sicut ferri æruginem auferentes, videmur claritatem, quæ ei naturaliter instat, inducere (1), cum tamen revera nihil inducamus.

**Resp.** Assertio Platoniorum adeo est gratis conficta, ut nequeat evidentiam experientiæ rationisque allatæ obscurare. Probent ergo prius ipsi animo nostro ab ipsa creatione insitam rerum omnium inesse scientiam, et tum demum jus habebunt ridiculam illam reminiscentiam obrudendi.

Quo pacto ratio  
novas veritates  
inveniat.

**Cæterum** si quæras quo pacto ratiocinatione novæ detegantur veritates, responsio in promptu est. Nam generatim loquendo cum ratiocinamur, prima principia et veritates jam notas ad aliquam materiam determinatam applicamus, vel conceptus varios inter se comparamus; in qua comparatione et applicatione novæ relationes deteguntur, novæque veritates patefunt, quæ prius non innotescebant. Sicut admoto lumine ad aliquod objectum, quod prius clare non perspiciebatur, multa quæ videri non poterant, vivido fulgore incurrunt in oculos. Verum hæc nullo negotio intelliges, si paululum respicias, quid nos hactenus in demonstrandis propositionibus fecerimus.

#### SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

233. **Objic. 1.<sup>o</sup>** Qui ad ratiocinandum accedit, vel scit rem propositam, vel ignorat. Si scit, non opus est eam inquirere. Si ignorat, frustra inquiret, cum nesciat, quid quærat. Quare, etiamsi in id incurrat, adhuc se invenisse ignorabit. En celebre dilemma Platonis in *Menone* (2).

(1) S. Th., 3.<sup>o</sup> dist. 33, q. 1, art. 2, solut. 1.

(2) Vide apud Arist., lib. 1.<sup>o</sup> *Posterior*, cap. 1, et apud Conimbric., lib. 1, *Posterior*, cap. 1, quest. 1, art. 1.

Et declaratur res amplius, quia, quod est ignotum quæri non potest, immo nec cognosci, etiamsi in illud incidamus.

Adde quod conclusio rationem habet finis, et præmissæ rationem medi. At finis ante medium cognoscatur necesse est (1).

**Resp.** Qui aliquid scire cupit, partim scit, partim ignorat; scit in virtute, quatenus tenet principia, in quibus virtualiter conclusiones scientificæ continentur; ignorat autem, quatenus nescit adhuc conclusionem formaliter et in propriis terminis. Ad sciendum porro formaliter, necesse non est, ut quis habitum scientiæ, aut conclusionum possideat, sed satis est, ut teneat principia, ex quorum apta applicatione ad subjectam materiam conclusiones colliget.

Ad rem Angelicus cum Aristotele: *Antequam inducatur inductio vel syllogismus, ad faciendum cognitionem de aliqua conclusione, conclusio illa quodammodo scitur, et quodammodo non; simpliciter enim nescitur, sed solum secundum quid... Cujus quidem ratio est, quia, sicut jam ostensum est, oportet principia conclusionis præcognoscere. Principia autem se habent ad conclusiones in demonstrativis, sicut causæ activæ in naturalibus ad suos effectus: unde in secundo Physicorum propositiones syllogismi ponuntur in genere causæ efficientis. Effectus autem antequam producatur in actu, præexistit quidem in causis activis virtute, non autem actu, quod est simpliciter esse. Et similiter antequam ex principiis demonstrativis deducatur conclusio, in ipsis quidem præcognitis, præcognoscitur conclusio virtute, non tamen actu. Sic enim in eis præexistit. Et sic patet quod non præcognoscitur simpliciter, sed secundum quid (2).*

Cæterum illud quod quis addiscit, nihil prohibet primo quodammodo scire, et quodammodo ignorare. Non enim est inconveniens, si aliquis quodammodo præsciat id, quod addiscit; sed esset inconveniens, si hoc modo præcognosceret, secundum quod addiscit. Addiscere enim proprie est, scientiam in aliquo generari. Quod autem generatur, ante generationem non fuit omnino ens, sed quodammodo ens, et quodammodo non ens: ens quidem in potentia, non ens vero actu. Et hoc est generari, reduci

(1) Cfr. apud Tongiorgi, *Instit. logic.*, lib. 2, cap. 6, art. 6, n. 574.

(2) S. Thom., lib. 1.<sup>o</sup> *Posterior*, lect. 3, initio.